



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

I. Suspiria ad impetrandum Spiritum Sanctum ejusque Dona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

nisi Bonitas æterna, quam in omnibus
quæram, donec in cœlo apprehendam.

Diligam te Domine, amore libero, quo
hostes meos contemnam, omnia cum
summa spiritus libertate perficiam, donec
ad libertatem Filiorum Dei conscendam.

Diligam te Domine, amore insupera-
bili, quo nullis adversis cadam, & unum
quodammodo tecum efficiar, ac cum A-
postolo dicam: Quis me separabit à cha-
ritate?

O Veni sancte Spiritus, reple tuorum
corda fidelium, & tui amoris in eis ignem
accende!

FERIA II.

I. *Suspiria ad impetrandum Spiritum
Sanctum eiusque Dona.*

O Jesu Nazarene! flos de radice Jesse
super quem, vi unionis hypostatica
necessariò & connaturaliter requiescit
Spiritus Domini cum septem donis suis
in gradu excellentissimo; dispone me præ-
veniente gratiâ tuâ, dignumq; me effice
ad quem divertas, tecumq; Spiritum San-
ctum adducas, qui septem sua charismata
in gradu eminente mihi communicet.

Veniat

Veniat, obsecro, in me *Spiritus Sapientia!* quo divina & æterna profundè contempler, & secundùm ea de omnibus rectè decernam & judicem.

Descendat in me *Spiritus Scientia!* quo temporalia, & modum illis benè ad salutem utendi cognoscam.

Requiescat in me *Spiritus Intellectus!* quo obscura intelligam, & in adyta Scripturarum penetrem.

Habiter in me *Spiritus Consilii!* quo omnes meas & proximorum actiones honestè dirigam.

Ircuat in me *Spiritus Fortitudinis!* quo adversa quævis, etiam martyrium, propter te Deum meum libenter sustineam.

Regnet in me *Spiritus Pietatis* seu Religionis! quo te Deum meum ut summum Parentem summâ reverentiâ colam: proximis verò tanquam Fratribus omnem æquitatem, & benevolentiam, unius Dei communis Parentis causâ exhibeam.

Denique configat & confirmet me *Spiritus Timoris Domini!* non servilis sed filialis, omnium virtutum fons & decus; ut Spiritu Sancto repletus Sacerdotalia

munia sanctè peragam ; semper ex spiritu cogitem, ex spiritu agam, ex spiritu loquar magnalia Dei.

II. Suspiria ad Spiritum Sanctum.

Veni Sancte Spiritus, Legislator optime, Legem timoris servilis in me dele & legem charitatis divinæ omnium fidelium cordibus inscribe.

Veni, ô Spiritus veritatis ! & omnem veritatem me doce; detege fallacia mundi principia, vera carnis blandimenta & diaboli nociva mendacia ; ut tua amplectar sancta dogmata.

O fiat repentè de cœlo sonus ! qui res totumque mundum percellat, atque è verno tepiditatis, ac peccati lethargo non exciter.

O Lingua ignea ! descende super me, & velut carbone ignito linguam meam tange, ut à vitis purgata vel de Deo, vel cum Deo ardentè semper loquatur.

Veni, ô Divine Auster ! perfla hortum animæ meæ, & fluent virtutum aromata.

Veni, ô Spiritus vehemens ! totamque domum mentis meæ reple : concupiscentiarum mearum ardorem tempera : imper-

fectio-